

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2486

Auteur(s) : Renaud de Carteret [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1267, novembre

Action juridique : échange

Langue du texte : latin

Analyse

Échange passé entre l'Hôtel-Dieu de Coutances et Renaud de Carteret, chevalier. Celui-ci abandonne le Bois au Vicomte et un pré attenant au douit de Bulsard, à Coutances ; il reçoit en retour, des religieux, la sieurie de Flamanville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° LXXXVI, p. 72-74.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego Raginaldus de Cartret, miles, dedi, tradidi, concessi et finaliter dimisi priori et fratribus Domus Dei Constanciensis, ad usum dicte Domus, ratione et nomine excambii, totum territorium, cum sua garnestura, quod vocatur Nemus Vicecomitis, apud Constancias, in parrochia Sancti Nicholai de Constanciis, in nemore, pratis, fossatis et aliis terris omnibus, [infra claus]uram antiquam dicti nemoris existentibus, pertinentibus ad dictum nemus cum pratello extra, juxta doitum de Buessart, quod nemus, cum pertinentiis ipsius [predictis, ha]bebam, possidebam et ad me ratione Philipe uxoris mee pertinebat. — Tenendum, habendum et possidendum eisdem priori et fratribus eorumque successoribus et dicte domui dictum nemus, cum suis pertinentiis predictis, in perpetuum de cetero, sine contradictione et reclamatione aliqua mei vel heredum meorum. Et ego heredesque mei tenemur dictum nemus, cum dictis pertinentiis ipsius, eisdem priori et fratribus eorumque successoribus deffendere, deliberare et garantizare contra omnes ab omnibus bona fide, et penitus ab omnibus fesanciis, serviciis, redevanciis et redditibus de cetero in perpetuum acquittare, exceptis tantummodo una libra piperis et decem solidis turonensium, quos inde dicti prior et fratres Ricardo de Monasteriis scutifero singulis annis, de cetero reddere tenebuntur, pro quibus decem solidis et libra piperis eidem scutifero de dicto memore ab eisdem priore et fratribus, ut prefertur, reddendis, ego predictus Raginaldus dimisi eisdem priori et fratribus, concessi penitus et quittavi sex solidos turonensium, sex capones et homagium suum et quatuor denarios turonenses, pro quibusdam cyrothetis que michi debebant et reddere tenebantur annuatim dicti prior et fratres, de quodam feodo seu terra que vocatur Les Noef Accres, quod feodum seu terram de me tenebant in feodum per predictum homagium suum et prefatum redditum predicti prior et fratres apud Constantias, et tres solidos turonensium annui redditus, quos michi assidere seu assignare, ratione dicti excambii, tenebantur. Et ego eciam et heredes mei tenemur et tenebimur dictum nemus, cum pertinentiis suis predictis, eisdem priori et fratribus dicteque domui excambiare competenter valore ad valorem, ad quod me heredesque meos obligavi et adhuc obligo, si forte illud, cum suis pertinentiis predictis, eisdem garantizare non possemus, eosque priorem et fratres et domum penitus

super hiis conservare indemnes, salvo jure capitalium dominorum. Pro predicto vero excambio, dederunt michi dicti prior et fratres et tradiderunt in excambium omnes redditus et terras, cum regardis, homagiis et fesanciis quibuscumque, que habebant et sibi debebantur in parrochia de Flamanvilla, cum omnibus juribus, hominibus et libertatibus ; videlicet, quadraginta duo quarteria et unum bussellum frumenti ad mensuram dicte ville ; decem quarteria ordeï, uno bussello minus ; duodecim quarteria avene et decem novem solidos turonensium et quatuor denarios in regardis et redditibus in denariis, quos sibi singulis annis debebant de tenementis, que tenebant ab eisdem priori et fratribus homines et tenentes ipsorum in parrochia de Flamanvilla predicta. Quos homines et eorum tenementa michi penitus attornarunt et dimiserunt, ratione dicti excambii, prior et fratres predicti ; ita quod de predictis redditibus solvere tenebimur ego et heredes mei, acquittando dicta tenementa de Flamanvilla dominis capitalibus eorumdem, singulis annis quatuor quarteria frumenti et duos solidos turonensium de dictis regardis et totum ordeum predictum, cum uno alio bussello ordeï, quod ultra prefatum ordeum de dictis tenementis dictis dominis debetur ; et totam avenam predictam similiter, prout dicti prior et fratres ea de dictis tenementis annuatim dictis dominis reddere tenebantur. Et alia omnia premissa in redditibus et regardis, in dicta parrochia de Flamanvilla, michi et heredibus meis, sine contradictione dictorum prioris et fratrum in perpetuum de cetero, ratione dicti excambii, pacifice remanebunt ; ita tamen quod, si aliquo casu contingeret dictum nemus revocari, quod ego et heredes mei inheredationes quascumque dicti prior et fratres in dicto nemore et territorio ipsius predicto facerent restituere integraliter et reddere teneremur, et, si, ob defectum mei vel heredum meorum seu per me vel dictam Philipam uxorem meam aut heredes meos vel alterum nostrum, dicti prior et fratres aut eorum successores expensas aliquas aut sumptus facerent, ratione aliquorum premissorum, ego et heredes mei ea omnia similiter eisdem integre reddere teneremur, et omnia premissa de parrochia de Flamanvilla in terris, redditibus, homagiis, juribus et aliis quibuscumque, integre et sine diminutione aliqua, ad ipsos priorem et fratres libere redirent et in perpetuum remanerent eisdem sine contradictione et reclamacione aliqua mei vel heredum meorum. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, ego prefatus Reginaldus presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratie millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, mense Novembris.